

Georg Rudolph Böhmer

**Facultatis Medicae In Academia Wittenbergensi H. T. Decanus Georgivs Rvdolphvs Boehmer ...  
Habendam Indicit Praemissa De Plantarvm Syperficie Genera Et Species Definiente**

## **Exercit. Qvarta**


Vitembergae: Litteris Caroli Christ. Dürrii, [1770?]

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn862451655>**

Band (Druck) Freier  Zugang



FACULTATIS MEDICAE  
IN  
ACADEMIA WITTEBERGENSI  
H. T. DECANVS  
GEORGIVS RVDOLPHVS  
BOEHMER  
PHILOS. ET MEDIC. DOCT. ANAT. ET BOTAN  
PROF. PVBL. ET PHYSIC. PROVINC  
PANEGYRIN MEDICAM  
AD D. XI. SEPTEMBR. A. R. S. C1D1DCCCLXX  
HABENDAM  
INDICIT  
PRAEMISSA  
DE PLANTARVM SVPERFICIE  
EXERCIT. QVARTA



*d. d. Rogner. 1878*  
*Nc - 4306. (4) Cap. Nc. 4.*



DE PLANTARVM SVPERFICIE  
EXERCITATIO QVARTA.



Plantae non solum salium acrimonia, et hinc interna mixtione dolorem, inflammationem et alias noxas excitant, si contusae, vel alio modo praeparatae cutis superficiei imponuntur, sed eadem quoque integrae, cuti C. H. applicatae, manibusque modo apprehensae irritationem et alias molestas sensationes producunt, forte etiam sine immediato tactu, quasi e longinquo, in nos agere et nocere videntur. Prout enim plantae saluberrima emittere solent effluvia, ita etiam easdem exhalare nociuas particulas, facile concedimus, licet iis, quae de Taxi e. gr. umbra, hominibus illi indormientibus exitiali, aliarumque arborum venenatis effluviis hinc inde annotata legimus, fidem nostram facere, neutiquam possimus. Esse autem eiusmodi summe venenatas stirpes, quarum etiam externa superficies, toxico quasi succo illita atque imbuta, tangentium manus laedit, et sanitatem variis modis turbat, vel vnico exemplo comprobare liceat.

Rhus Vernix, apud Chineses et Iaponenses vsitatissima planta, singulari modo hominibus nociua existit. Nonnulli enim, qui arborem, eiusque partes vel manibus apprehendunt, vel corticem deglubunt, eumque et denudatum lignum digitis fricant, naribusque admouent, vel luteolum, grauitur olentem, succum exprimunt, eumque  
cuti



cuti applicant, nullam inde noxam experiuntur, dum alii e contrario neque arborem, quam diu vegeta et succulenta est, vlllo modo tractare, neque alterius hominis, qui eandem antea terigit, manum apprehendere debeant, quin statim morbosa symptomata sentiant, et acutissimis doloribus, intumescencia et pustulis vesicularibus vexentur. Nonnullis etiam e longinquo nociua esse solet arbor, et si modo ad ea accedunt loca, vbi illa habitat, eiusque exhalantes particulae, ventis agitatae, eorum corpori applicantur, eodem quoque modo iaeduntur, et aegrotare solent. Singularis haec et superficialis quasi virtus, et quae inter arborem et nonnullos homines intercedit antipathia, omnem quidem probabilitatem superare videtur, nemo tamen eandem in dubium vocabit, postquam Cel. KALMIVS huic rei fidem fecit, et enarratos effectus propriis oculis cognouit. Immo Ipse KALMIVS, licet frequenter arborem sospes atque saluus manibus suis contractauerit, aliquando tamen eius virulentiam expertus fuit; dum scilicet incalescente quodam modo et sudante corpore, ramulum per horae dimidium digitis prehenderit, eumque naribus quandoque admouerit, in palpebris earumque ciliis molesta titillatione per integram fere septimanam vexatus fuit \*)

Superficiem plantarum, dum nudo corpori applicatur, noxios effectus producere, non solum ex recensita historia cognoscimus, sed et alio casu corroborare possumus. Hortulanus, qui per decem annos horti academici curam gessit, eiusque vxor, dum aestiuo tempore erraticas atque vagas plantas ex horto remouere, eiusque areas a quilibet quasi repurgare studuerunt, fere semper minus gratum reportarunt laboris praemium. Pluries enim vel de pruritu, vel acuto dolore, immo etiam de pruriginosis exanthematibus, intra hunc laborem enatis, conquesti fuerunt. Qua re commoti hortulanum monuimus, vt sollicitè attendat, quatenus illae forte sint plantae, ipsius atque vxoris corpori adeo infensae. Repetiit itaque solus ante duos annos arearum, in quas hortus diuisus est, et quae perennes stirpes continent, repurgationem. In vna harum atque altera incolumis opus suum absoluit, dum autem altera die aliam aream ab inutili herba runcare pergit, molesto titillationis sensu commonefactus, hic sub-

a 2

stitit,

\*) haec et plura alia, quae virtutem huius arboris singularem concernunt, legimus in Eiusdem *Reisebeschreibung* II. Theil p. 228. sqq.



stitit, et pristinum malum metuit. Nec vanus erat metus; mox enim in denudatis brachiis rubor et intumescencia, cum intolerabili pruritu, postea pustulae, asperdines, denique vlcerosa exanthemata, cum febre insigni, oriebantur, quae et altera et tertia die durabant symptomata, donec pustulae, herpetibus non absimiles, suppuratae et exulceratae confluentes crustam faciebant, qua sensim desquamata, perfecte conualuit. Quamprimum autem de malo, quod Hortulano immineret, notitiam accepi, hortum adii, euulsas, inutiles, nondum reiectas herbas disquisiui, ast nullam, quae tam grauem morbum excitare potuisset, vel alio modo suspectam, inueni. Vidi autem in eadem area Vrticam cannabinam, ad humanam fere altitudinem enatam, ramis copiosis, hinc inde sparsis, extensam, pungentibus aculeis, vt semper esse solet, bene armatam. Hanc itaque tanti mali auctorem esse facile existimaui, hinc vt caute in fasciculum ligata, radicitus euellatur, et in desertum quendam locum transferatur, operam dedi. Licet autem a priori loco longissime remota fuerit noxia planta, virus nihilominus vel nouum collegit vel pristinum adhuc in sinu suo atque terra fouit aluitque eadem horti area. Etenim Hortulanus sequenti anno eradicandis erraticis plantis denuo operam impendens, dum ad hunc, ipsi aliquoties funestum, locum accessit, squalidamque terram manibus exarauit, non terrore aut timore, sed pruritu admodum molesto, in manibus excitato, coactus laborem desit, et pristina incommoda metuit. Post breue etiam temporis interuallum manus et brachia, totumque caput, inprimis palpebrae cum rubore tumebant, incresebat pruritus et dolor, oriebantur papulae et pustulae, omnisque harum partium cutis vlcusculis foeda apparebat. Lectum aeger petiit, genis apertis dormiuit, euigilauit, et nunc de intolerabili partium genitalium pruritu conquerebatur, breuique post penis, et praecipue scrotum insigniter turgebant, rubescebant, omnesque reliquas, antea notatas, affectiones ostendebant. Patienter quidem, ast non sine summa molestia, morbum sustinuit per plures dies, et licet ex lacte vacino tepido, frequenter applicato, aliquod leuamen senserit, non prius tamen conualuit, quam pustulis omnibus exulceratis ac perfecte repurgatis. Quid itaque nunc accusandum erit? nonne excusanda et a crimine imputato liberanda Vrtica? Ita videtur, namque per integrum annum in eadem area ne vestigium quidem huius plantae adparuit,



paruit, et nihilominus grauissime laesus fuit Hortulanus. Circumspicienti igitur, annon alia, huic loco quasi propria, caussa inueniri posset, en duas inueni fatis probabiles. Area haec munita erat sepe, ex Ribe grossularia constructa, eademque quotannis magnam alere solebat Erucarum copiam. Has autem, earumque exuuias, non solum, dum digitis tractantur, saepe cutem grauissime laedere, sed etiam ex iisdem excussos minimos pilos, per aerem volitantes, in corporis nostri superficiem sese insinuare, et exanthemata producere, ex REAUMVRII \*) Obseruationibus scimus. Nonne hinc areae huius terram inuisibili Erucarum lanugine impraegnata, eademque superficiei corporis insinuata, grauissima haec symptomata exorta, fuisse, probabili coniectura existimandum? Alteram, quae accusari possit, causam in Toxicodendro deprehendimus. Haec enim planta, in eadem, quae praeterito anno euulsam Vrticam continebat, area, et in vicinia suspecti loci habitabat. Non modo autem vtramque Toxicodendri speciem venenatum continere succum, eumque cuti et lanae applicatum nigras maculas relinquere scimus, sed ambas quoque, inprimis radicantem dictam, easdem, quas antea de Vernice notauimus, possidere virtutes, et KALMIVS retulit, et experientia propria Cel. MONTI confirmauit. Ex hac enim planta, in horto domestico culta, et ex eius praescissis ramulis, digitis apprehensis, Ipse MONTI Eiusque Filius saepe grauissime laesi, et in eorum manibus intumescencia, inflammatio, pustulae et exulcerationes exortae fuerunt; praeterea etiam hortulanus ex sola transplantatione plantae iisdem symptomatibus laborauit, immo et ille, qui amputatos ramos manibus colligebat, aliusque, qui eosdem, in terram proiectos, solius rastro auxilio, conglomerauit, simili modo aegrotarunt; e contrario autem alter hortulanus, qui horti Bononiensis publici curam gerit, eandem stirpem frequenter, et satis inconfidrate, manibus comprehendit, effodit, transportauit, et in alio loco iterum plantauit, nullo prorsus inde acquisito malo; eius autem vxor, ex solo mariti consortio, eundem morbum, transplantatione quasi acquisiuit, licet haec deleteriam plantam eo tempore ne extremis quidem digitis tetigerit. \*\*) Toxicodendrum autem in nostris regionibus

a 3

bus

\*) Vid. Histoire des Insectes Tom. II. Mem. 4.

\*\*) Hanc omnem historiam copiosius descripsit Ipse Ios. MONTI in Comment. Bononiens.



bus recensitos effectus nunquam excitauit, florentesque ramulos in demonstrationibus botanicis frequenter nobiscum Commilitones sine omni irritatione, vel alio incommodo in manibus tenuerunt, hortulanus etiam ex eius praescissione vel transplantatione nulla sensit incommoda, hinc apud nos tanti mali causa esse non potuit. Neque Eru-carum exuuiae, ex *Grossularia deciduae*, accusandae erunt, quia tota haec suspecta area interiori ambitu eiusmodi pariete cineta fuit, fomes autem morbi modo in vna, et semper eadem areae parte sese exerebat. Hinc omnem culpam in *Vrticam* potius transferre voluimus, praecipue cum ab Excellentissimo Collega D. ZEIHRO relatum nobis fuerit, in Petropolitano quoque horto eandem virulentiam exercuisse, atque in illis, qui vel plantam manibus tetigerunt, vel modo in vicinia eius crescentes plantas extirparunt, eiusmodi symptomata, quibus Hortulanus noster laborauerat, excitasse.

Quae cum ita sint, mouenda nunc et discutienda foret quaestio, quomodo *Vrtica* terram, quam inhabitabat, pungentem vrentemque quasi reddere, et absens nihilominus nocere potuerit. Nulla autem alia subesse videtur ratio, quam vt spicula, leuissimo nexu plantae superficie affixa, ventorum inprimis motu, et hinc inter se concussis ramulis, absterfa et separata vicinas plantas terramque occupauerint, atque vel in eius summa parte haeserint, vel profundius in eandem penetrauerint, et nunc, dum vel in vicinia crescentes plantas eradicem, vel terram ipsam quasi inuertere voluerit Hortulanus, in eius cutem, inuisibili modo, sese insinuauerint, et antea recensitas laesiones effecerint; licet enim in aliis *Vrticae* speciebus diu satis persistant spinulae, in cannabina tamen illae, maxime quae feminibus inhaerent, fugaces potius et volatiles sunt, et leuissimo motu a planta secedunt. Hinc et ratio patet, cur haec sola, nec reliquae pungentes species tantam nocendi vim possideant.

Possimus quoque ex adducto phaenomeno alias, de virtute *Vrticae* a nonnullis motas, lites componere, et inprimis determinare, an spicula ipsa mechanice tangentium manus laedant, an autem dolorificus effectus ab humore quodam acri deriuari debeat; et si prior assumatur sententia, an ipsi aculei a superficie plantae separentur et cuti quasi implantentur, an tantum solo tactu et punctura dolor et inflamma-

noniens. Tom. III. p. 160. quae etiam in germanicam versa est in *den Oeconomy-schen physical. Abhandl. XIX. Theil. p. 431.*



flammatio moueatur, et quae forte sunt alia. Verum de his omnibus fufius differendi, et Vrticae huius, nec non Toxicodendri in humanum corpus effectus viterius explorandi ac declarandi aliam expectemus occasionem. Transferenda enim est oratio ad commendationem publicam

Nobiliffimi Doctiffimique

DN. IMMANVELIS BENEDICTI FUNCKII

*Medicinae Candidati Digniffimi,*

qui de vita et ftudiis haec nobis exhibuit:

*Natus sum ego Immanuel Benedictus Funck, Hartensteinii d. XVIII Decembr. anno huius saeculi tricesimo nono, patre Godofredo, tunc Scholae illius loci Cantore, nunc ecclesiae pagi Beuthensis prope Hartenstein Pastore, matre Christiana Friderica, ex gente Sinneria; eosque, omni nomine mihi venerandos, superstites adhuc seruauit diuinum numen; quod beneficium sicuti mente gratiffima agnosco; ita vt eorum senectutem longam, tranquillam et prosperissimam esse velit Deus O. M. ex animo precor. Prima tum religionis praecepta, tum literarum rudimenta ex institutione optimi parentis hausi. Huius ex domo Bornam missus in disciplinam auunculi, inde a XIV. aetatis anno per quinquennium Pharmaceutices exercendae rationem didici, eamque artem diuersis deinde locis feci, postremo Stollbergae in officina Bockii Viri Experientiffimi, Philosoph. et Medic. Doct., qui auctor mihi fuit, vt in Acad. Lipsiensi, cuius albo iam ab anno 1762 Rectore Belio, Viro Magn. inscriptus eram, me conferrem. Hic igitur, ab anno 1765 per quatuor annos, auditor adsui b. Winklero, tradenti omnem Philosophiae ambitum, scientiamque naturalem, tum theoreticam, tum experimentis illustratam; Ernestio S. R. explicanti Sallustii B. C.; Clodio exponenti Lucretii de R. N. carmen et Cic. Orat. Mil. Matheos percipiendae causa Fratri dilectissimo A. M. et Scholae Nicol. Collegae, qui omnino suis et consiliis et beneficiis meum sibi animum conciliaffet, si vel non intercederet inter nos antiquius illud necessitudinis atque pietatis viuiculum arctiffimum. In morum doctrina praeceptorem vtilem suauemque habui b. Gellertum; in Hist. naturali b. Rudolphum; publicas Praelectiones Pohlii frequentavi ad accipiendam Anatomies cognitionem; quam deinde magis perfecit aduendis Bofii scholis priuatis. In Physiologia auditor adsedi Bofio et Reichelio quoque experimentis eam illustranti. In Chemiae et materiae medicae cognitione Poernerio, in*

*Chemia*





*Chemia experimentalis Rudigero, et in Mineralogia addiscenda Gehlero. Interfui etiam exercitiis examinatoriis, disputatoriis et elaboratoriis Bosii, Reichelii et Hermanni. Inprimis vero Ludwigio Viro Magnif. multis nominibus me obstrictum cum iucundo grati animi sensu profiteor, ut quem habui non modo egregium Praeceptorem in methodo doctrinae medicae vniuersae addiscenda, in cognoscenda re herbaria, Pathologia, Therapia generaliori, formularum conscribendarum scientia, Chirurgia et Medicina forensi, sed etiam Patronum beneuolentissimum et studia mea optimis et sapientissimis consiliis iuuantem. Pie quoque mihi colendus Heinius Vir Experientiss., cuius fauorem et beneuolentiam erga me insignem grata semper venerabor mente. Denique Rothero Viro Experientiss. gratias debeo maximas, ut qui opportunitatem inuisendi aegrotos mihi benigne concessit, eorumque inuisentorum curam ipse morbo decumbens per duos menses mihi benignissime mandauit; cuius beneficii memoriam equidem nunquam dimittam. Tandem gratioso Medicorum orâmi etiam atque etiam gratiae persoluendae, a quo examinibus aliquoties tentatus et ad sortem admissus, postremo Stipendium Quellmalzianum obtinui.*

Ita scientia et peritia instructus ad nostram musarum sedem accessit, et in numerum Candidatorum receptus, consueta subiit examina, in quibus profectuum pulchra dedit specimina. Ut itaque premia laborum legitime capefferet, decretum est, ut sub Praesidio Illustris et Excellentissimi D. DAN. WILH. TRILLERI, Consil. Aul. Med. Prof. Prim. Collegae, Fautoris et Amici nostri honoratissimi, inauguralem Dissertationem de *sordidis et lasciuis remediis antidysericis vitandis*, die XI. Septembris publice defenderet. Ad quem solennem Actum *Reftorem Academiae Magnificum, Comitem et Liberum Baronem Illustrissimos, Academiae Proceres, Fautores et Ciues officiosissime et humanissime inuitamus.*

P. P. XIII. Dom. post Fest. Trinitat. MDCCLXX.

---

V I T E M B E R G A E

LITTERIS CAROLI CHRIST. DÜRRII ACAD. A TYPIS

bus recensitos effectus nunquam demonstrationibus botanicis fructu omni irritatione, vel alio incommodus etiam ex eius praescissione modis, hinc apud nos tanti macerum exuuiarum, ex *Grossularia* haec suspecta area interiori amplexibus autem morbi modo in vna erebat. Hinc omnem culpam imputamus, praecipue cum ab Excellentissimo nobis fuerit, in Petropolitano exercuisse, atque in illis, qui modo in vicinia eius crescente promota, quibus Hortulanus non

Quae cum ita sint, mouendum quomodo *Vrtica* terram, quam quasi reddere, et absens nihil aliud subesse videtur ratio, quam perficiei affixa, ventorum inprimis ramulis, absterfa et separata vi atque vel in eius summa parte penetrauerint, et nunc, dum in terra, vel terram ipsam quasi incutem, inuisibili modo, sese inuenies effecerint; licet enim in aliis spinulae, in cannabina tamen illic fugaces potius et volatiles sunt. Hinc et ratio patet, cur haec semper tam nocendi vim possideant.

Possimus quoque ex adductis *Vrticae* a nonnullis motas, lites et spicula ipsa mechanice tangentibus effectus ab humore quodam matur sententia, an ipsi aculei quasi implantentur, an tantum

noniens. Tom. III. p. 160. quae  
sehen physical. Abhandl. XIX. Theil

florentesque ramulos in  
iscum *Commilitones* sine  
nibus tenuerunt, hortula-  
tatione nulla sensit incom-  
non potuit. Neque *Eru-*  
cusandae erunt, quia tota  
li pariete cineta fuit, fo-  
eadem areae parte sese ex-  
n potius transferre volui-  
ollega D. *ZEIHERO* rela-  
horto eandem virulentiam  
manibus tetigerunt, vel  
irparunt, eiusmodi sym-  
rat, excitasse.

discutienda foret quaestio,  
pungentem vrentemque  
potuerit. Nulla autem  
leuissimo nexu plantae fu-  
et hinc inter se concussis  
terramque occupauerint,  
vel profundius in eandem  
crescentes plantas eradi-  
erit Hortulanus, in eius  
et antea recensitas laesio-  
ciebus diu satis persistant  
quae seminibus inhaerent,  
motu a planta secedunt.  
nae pungentes species tan-

ueno alias, de virtute *Vr-*  
inprimis determinare, an  
cedant, an autem dolori-  
ari debeat; et si prior assu-  
plantae separentur et cuti  
a et punctura dolor et in-  
flamma-

nicam versa est in den *Oeconomi-*

